



BOLETÍN ECLESIAÍSTICO

DEL

OBISPADO DE SALAMANCA

SUMARIO

- I. *De la Sag. Congreg. de Ritos:* a) Decreto general sobre las misas votivas.—b) Declarando que cumplen con el precepto dominical de oír misa, los que asistan á las que se celebren en las capillas de los barcos.—II. *De la Sag. Cong. de Estudios.* Resolviendo que no se necesita *ut cursus theologicus fuerit a candidato integre absolutus ad lauream in iure canonico obtinendam* —III. Fórmu'as para uso de los confesores en el tiempo del Jubileo.—IV. El matrimonio civil.—V. Anuncio de exámenes en el Seminario
-

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM GENERALE DE MISSIS VOTIVIS

Missae Votivae, vel cum Officio diei et ipso Votivo concordant, vel haud conformiter ad ipsum celebrantur.

Posteriores vero istae, vel solemniter aguntur pro re gravi et publica Ecclesiae causa; vel privatim, aut saltem ex causa privata celebrantur.

I

De Missis votivis, quae cum officio concordant

Huiusmodi Missae Votivae naturam et ritum Officii, cui adnectuntur, sequuntur, his tamen adnotatis:

Missae de SS. Sacramento in V Feriis sit illa Votiva, quae notatur in fine Missalis (haud vero ut in ipsa solemnitate Corporis Christi), ac proinde dicatur sine Sequentia.

Orationes dicantur, non ut infra octavam eiusdem solemnitatis, sed tempori congruentes.

Quae omnia servanda sunt in ceteris huiusmodi Missis Votivis.

Symbolum in quibuslibet Missis Votivis huiusmodi, quae scilicet conformiter ad Officium celebrantur, semper omittatur, etiamsi sub ritu Duplici maiori aliquando sint concessae.

II

De Missa Votiva solemnī pro re gravi, et publica Ecclesiae causa

1. Missa Votiva solemnī pro re gravi et publica Ecclesiae causa illa est, quae Officio per se non respondens, ab Episcopo, vel de eius consensu, pro qualibet vice obtinendo, solemniter celebratur cum interventu Magistratus, aut saltem Cleri et populi; et pro quadam spiritali vel temporali necessitate, quae communitatem ipsam afficiat: v. g., ad petendam pluviam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro Principe infirmo, ac similibus.

2. Missa Votiva solemnī pro re gravi celebrari potest qualibet die, exceptis Dominicis 1 classis, ac Festis duplicibus pariter 1 classis, Feria IV Cinerum, Feriis Hebdomadae Maioris et Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini: in quibus sola commemoratio fieri poterit in Missa solemnī de die

per Orationem Missae Votivae post Orationem Festi sub unica conclusione, etsi alia commemoratio deinde vi Rubricarum fieri debeat.

Verum in Ecclesiis, quae ad Missam Conventualem tenentur, Votiva solemnis pro re gravi non celebretur, nisi prius celebrata fuerit Missa Conventualis de Officio occurrente.

3. Missa Votiva huiusmodi ex his desumenda est, quae uti Votivae in Missali designatur. Quod si, occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, Missa specialis in Missali deficiat, dicatur Missa *pro quacumque necessitate*; et huius Orationi sub unica conclusione superaddatur Collecta, si quae sit, necessitati relativae propria.

Ceterum in Missis Votivis solemnibus pro re gravi unica dicenda est Oratio, etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in Ecclesiis, ubi onus Missae Conventualis non existit.

In huiusmodi Missis semper dici debent *Gloria in excelsis* et *Credo*, nisi Missa celebretur in paramentis violaceis, iuxta Rubr. Miss. Tit. XVIII, Num. 5, quia tunc non dicitur *Gloria*. Cum vero *Gloria* et *Credo* dicuntur, numquam ad Orationes genuflectitur.

Praefatio dicatur iuxta Rubr. Miss. Tit. XII, Num. 4: ita quidem ut infra quamcumque octavam etiam privilegiatam, Praefatio dicatur Missae Votivae propria, si habeatur, cum *Communicantes* de octava. Die vero Dominica, Praefatio, si Missa Votiva propriam non habeat, dicatur de Dominica, non de Festo. Item Praefatio dicenda est in cantu solemnibus et Organâ pulsari possunt.

Color vero paramentorum erit iuxta qualitatem Missae, quae celebratur.

III

De Missis Votivis privatis vel ex privata causa in genere

1. Dici possunt ut Votivae, Missae omnes quae in fine Missalis sub hac designatione ponuntur, necnon illae quae in

corpore Missalis, ut votivo more per annum dici possint, adnotantur, quales inter alias Missa *Miserebitur* de SS. Corde Iesu et Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione.

Missae Votivae dici tantum possunt de quibuscumque Sanctis canonizatis, in Martyrologio Romano descriptis: pro quibus adhibenda est sive Missa propria, si habeatur, sive illa de Communi, ad quam Oratio forte pertineat, sive altera pariter de Communi: desumptis quidem de Communi quae in Missa propria forsitan desunt, vel tempori non conveniunt, omissisque verbis *annua, hodie, ac* similibus, et mutatis *natalitia, solemnitatis, festivitas* in *commemoratio, memoria*.

2. Missae Votivae, sive privatae (etiamsi dicantur pro aliqua causa gravi), sive solemnes (nisi pro re gravi), sicut et Missae privatae pro Defunctis, omnino prohibentur in Vigiliis et per octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, Feria IV Cinerum, a Dominica Palmarum usque post octavam Paschae, in Vigilia Pentecostes et per octavas Pentecostes et Corporis Christi; necnon in Dominicis per annum et in Festis Duplicibus, etiam non de praecepto, quacumque consuetudine non obstante.

3. Missae Votivae huiusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo*, etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, per speciale indultum, in die Dominica et in Festis Duplicibus, vel etiam infra octavas celebrantur, nisi sint de die infra ipsam octavam; quo in casu celebrandae essent ut in Festo, idest, cum *Gloria* et *Credo*.

Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in Missa Votiva de SS. Sacramento. Quod si infra octavam Missa Votiva dicatur, secunda Oratio erit de octava, tertia autem de tempore.

Quoad Praefationem, servetur Rubrica Generalis Tit. XII, Num. 4.

In Missis Votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Ioannis, *In principio* iuxta Rubr. Tit. XIII.

IV

**In specie: De Missis Votivis solemnibus ex causa
non publica celebratis**

1. Missae Votivae, quantumvis solemnes, quae pro re non gravi et ex causa non publica celebrantur, etiamsi in forma novemdialis vel octidui ante vel post aliquam Solemnitatem agantur, nullimodi celebrentur in Dominicis et Festis Duplicibus nisi ex indulto speciali.

Nec Votiva de Spiritu Sancto, vel alia, supradictis diebus licet celebrari, quacumque consuetudine non obstante, ob vestitionem vel professionem Monialium; sed neque ab ipso Episcopo in eligendam Abbatissam Monasterii suae iurisdictioni.

Immo ante Processionem SS. Sacramenti, sive infra sive extra octavam Corporis Christi, vel qualibet tertia Dominica mensis, Missa coram SS. Sacramento cantari solita celebranda est de Dominica seu de Festo Duplici occurrente, cum commemoratione Sacramenti.

Missae Votivae solemnes semper cantentur post Nonam, ad formam Rubricarum.

2. In Ecclesiis quae ad Missam Conventualem tenentur, si Missa Votiva solemnibus ex causa non gravi vel ex fundatione celebretur, numquam omittatur Missa Conventualis de die: tunc vero in Missa Votiva fieri non debet Commemoratio Festi, de quo Missa Conventualis celebrata fuit.

In ceteris vero Ecclesiis, si de Festo currenti prius alia Missa celebrata non fuerit, in Missa Votiva addantur tam Oratio diei quam aliae occurrentes.

Ceterum in Missis Votivis huiusmodi, utcumque solemnibus, nisi pro re gravi et publica Ecclesiae causa, vel vi specialis indulti celebrantur, *Gloria in excelsis* et *Credo* semper omittantur. Quod servetur etiam in novemdialibus, quibus Sanctorum Festa nonnumquam praevenientur, vel in octiduo quod sequitur.

In Missa Votiva de Passione, quae Feriis VI per annum alicubi celebrari solet, colore utendum est violaceo, iuxta Rubricas, nec pulsanda sunt Organa.

3. Missae Votivae ex fundatione vel legato (de quibus iam supra aliquid inuimus) easdem normas ac ceterae Votivae, sequuntur: ita ut legi vel cantari nequeant in Festis Duplicibus aut in diebus, in quibus nec de Duplici fieri possit.

Ideo Sacra Congregatio, auctoritate summi Pontificis, die 5 Augusti 1662 mandavit ne in futurum recipiatur obligatio ad Missas Votivas celebrandas nisi pro diebus, in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt.

Missae vero Votivae, jam acceptatae et nondum celebratae, dicantur aliis diebus non impeditis; atque in horum defectu, pro Votivis sufficiat applicare valorem Missae currentis quae quidem, si opus sit, fiat cum cantu, aut etiam sine cantu ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda.

V

De Missis Votivis Beatæ Virginis

1. Missa Votiva de Beata Virgine, sive sit privata sive solemnitas, etiam pro re gravi, debet esse una ex Votivis B. M. V. in fine Missalis positis pro diversitate temporum, aliave approbata ut Votiva dicatur, ut Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et Missa *Septem Dolorum*. Missae vero propriae de Festivitatibus Beatæ Mariæ non celebrentur, nisi diebus in quibus dictae solemnitates occurrunt et per earum octavas: quod servetur etiam si huiusmodi Missae ex praescripto et institutione fundatorum petantur; quibus fiet satis celebrando aliquam ex Votivis B. M. V. iuxta temporis occurrenceam.

Contra vero, in Festivitatibus et infra octavas eiusdem Beatæ Virginis celebretur Missa Festivitatis aut de die infra octavam, tamquam non Votiva, sed Festiva.

Pariter die quo Officium Votivum de Beata Virgine ex indulto recitatur, Missa Votiva sumatur quae respondeat Officio.

Immo in Vigilia Assumptionis (similiter et Immaculatae Conceptionis) B. M. V., etiam in implementum oneris, celebretur Missa de Vigilia: quippe qua et universalis Ecclesiae ritui et particulari oneris implemento consulatur.

2. In Missis Votivis de B. M. V. quae celebrantur in Sabbatis Adventus, dicatur Hymnus *Gloria in excelsis*, etiamsi Officium non fiat de ea: numquam vero dicatur extra Sabbatum, nisi infra octavas eiusdem Beatæ Virginis; etiamsi talis Missa celebretur ex legato, neque obstante consuetudine etiam immemorabili. Sacerdos vero, qui ex indulto quotidie celebrat Missam Votivam de B. M. V., *Gloria in excelsis* dicat in Sabbato, uti supra, haud vero infra octavas eiusdem Beatæ Virginis.

Tres saltem Orationes, iuxta Rubricas, dicantur, etiam in Missis Votivis huiusmodi, quae ex indulto quolibet anni Sabbato cantari solent.

Credo in Missis Votivis B. M. V. semper omittatur, nisi sint de die infra eiusdem Octavas; nequidem iis exceptis, quae sive in Cleri conventibus, sive ex legato, sive quolibet Sabbato ex indulto celebratur.

In Missis Votivis de B. M. V. color albus semper adhibeatur, non autem caeruleus, nisi ex privilegio.

3. Missae Votivae B. M. V., etiam novemdiales, debent esse ex Votivis ut supra; numquam vero propriae de Festivitatibus eius, nisi in ipsis Festivitatibus et per octavas earum. Missae huiusmodi, utcumque solemnes, celebrentur sine *Gloria* et sine *Credo* et cum tribus Orationibus: nisi speciale habeatur indultum.

Quae de Missis novemdialibus dicta sunt, eadem fere dicantur de Missa *Rorate* in honorem Beatæ Virginis quotidie per Adventum in aliquibus Ecclesiis cantari solita: quae quidem neque in Dominicis aut Festis duplicibus, neque cum unica Oratione et cum *Gloria* et *Credo* celebranda est, nisi

peculiare interveniet indultum. Quo quidem obtento, non omittatur Missa Conventualis in Ecclesiis Collegiatis aut Conventualibus, vel Missa occurrentis Festi de praecepto in minoribus Ecclesiis.

VI

De Missa pro Sponsis

In celebratione Nuptiarum, extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat Duplex primae vel secundae classis, dicenda est Missa pro Sponso et Sponsa, in fine Missalis post alias Missas Votivas specialiter assignata. In diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto, necnon diebus Duplicita excludentibus, dicenda, est Missa de die cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa, et quidem etiam in Festis primae classis, sub altera conclusione, ac primo loco post ceteras commemorationes de praecepto, si quae faciendae.

Missa pro Sponsis, et in ea benedictio nuptialis, fieri potest etiam in casu, quo Sponsi infra hanc Missam Sacram Communionem non percipiant.

Eadem Missa, cum sit Votiva privata, semper celebranda est, etiam si fiat in cantu, sine *Gloria in excelsis* et sine *Credo* et cum tribus Orationibus: 1.^a scilicet ejusdem Missae Votivae propria, 2.^a y 3.^a diei occurrentis ut in Rubr. Tit. VII, Num. 3. *De Commemorationibus*; necnon in fine *Benedicamus Domino* et ultimo Evangelio S. Joannis.

Temporibus vero prohibitis, Nuptiae quidem celebrari possunt de licentia Episcopi, at sine solemnitate, ideoque privatim; et omissis Missa et benedictione. Neque, iisdem temporibus, Commemoratio pro Sponsis fieri potest in Missa occurrente.

Verum ex Decreto Generali S. R. Universalis Inquisitionis dato die 31 Augusti 1881, benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis conjugibus, qui eam qua-

cumque ex causa non obtinuerint, Missaque pro Sponso et Sponsa simul celebranda, diebus praescriptis ut supra.

Benedictio enim Nuptiarum in Missali posita si Sponsi eam petierint (ipsa ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa Missa pro Sponso et Sponsa abstrahi numquam potest, sed infra eam omnino debet fieri.

Notandum est tamen, quod si mulier est vidua et alias benedicta fuerit, omittenda est tam benedictio Nuptiarum quam Missa propria pro Sponso et Sponsa.

Non obstantibus Decretis quibuscumque particularibus in contrarium facientibus, quae per hoc Generale Decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse Sacra Rituum Congregatio declarat.

Die 30 Junii 1896.

(De Il Consulente Ecclesiastico, Octubre de 1900).

V I C E N .

Quum nuper declarata sit uti publica pro navigantibus, cappella fixa in navibus, et cum non raro contingat, quod dum naves in portu inveniuntur, familiae navigantium et officialium, aliaque personae, diversis ex causis, eas adeant; hodiernus cappellanus primarius Societatis Transatlanticae Barcinonensis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna declaratione humillime exposuit, nimirum:

Utrum omnes qui in dicta Cappella Sacrosanto Missae Sacrificio adstant, illud audire valeant in adimplementum praecepti de Sacro in festis audiendo.

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, proposito Dubio respondendum censuit: Affirmative juxta Decretum Vi-

cen., diei 4 Martii 1901, absque speciali Indulto. Atque ita rescripsit die 10 Maji 1901.

D. CARD. FERRATA, *Praef.*

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen. Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE STUDIORUM

Ad lauream in iure Canonico obtinendam, non requiritur ut cursus theologicus fuerit a candidato integre absolutus

Excmo. ac Revmo. Card. S. Studiorum Congregationis Praefecto.

Emme. Domine:

Emmanuel de Avila, Dioecesis Habanensis in regione Americana "Isla de Cuba," vulgo dicta peractis studis ecclesiasticis universis ad quartum usque S. Theologiae annum ante novam studiorum rationem sese contulit consentiente suo Rvmo. Episcopo coram Universitate Ecclesiastica Compostellana ut, expleto curriculo Iuris Canonici ad normam hodiernae disciplinae ad gradus maiores in praefata facultate potuisset contendere, et deinde ad propriam Dioecesim, statuto tempore, redire.

Cum autem obortum sit recentissime dubium a Praefecto Studiorum permotum, utrum, nimirum, ad gradus in Facultate Iuris possit legitime contendere qui ad normam vigentis studiorum rationis cursus theologicos integre haud perfecit, etsi omnino iuxta normam vigentem, ut in casu, studia Iuris exegisset; orator ne amplius tali dubio retineatur si solutio revera sit negativa, humiliter expostulat dispensationem ad gradus maiores in praedicta facultate obtinendos, ex specialibus circumstantiis quibus premitur et singularibus adiunctis quibus versatur; inter quae sunt recensendae, primo quod

etsi Facultatem Theologicam integre non perfecit ad normam novae disciplinae, neque in tali Facultate gradus quaerit, sed in Facultate Iuris cuius studia ad normam et iuxta vigentes dispositionis plane perfecit; secundo, quod dubium haud motum fuit cum studiorum exordio neque tum oratori proposito; tertio quod immorari amplius non possit ut operam det studiis iterum theologicis (prout necesarium est si dubium est legitimum) quia tempus fuit taxative determinatum a proprio Ordinario.

Ex quibus aliisque, si casus dispensatione indigeat, eam orator ex postulat et deprecatur.

Et Deus, etc.

EMMANUEL DE AVILA.

Die 30 Martii 1901. S. Studiorum Congregatio rescripsit.
Non indigere.—Sigillum Sacrae Congregationis Studiorum.

FÓRMULAS PARA USO DE LOS CONFESORES

EN EL TIEMPO DEL JUBILEO

Fórmula para absolver de las censuras

Dichas las preces *Misereatur et Indulgentiam*, y antes de la absolución de los pecados, se dirá:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, absolvo te in primis ab excommunicatione, quam incurristi propter...; et restituo te sacramentis Ecclesiae, et communioni fidelium. Item absolvo te ad omni vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te...

Fórmula para absolver de la herejía

Hecha de antemano por el penitente la abjuración de la herejía, y antes de la absolución de los pecados, se dirá:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, absolvo te in primis ab excommunicatione, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propter haeresim incurristi, et restituo te sacramentis Ecclesiae et unitati fidelium. Item absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis), et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te...

Fórmula para dispensar de la irregularidad

Después de la absolución de las censuras y de los pecados con la forma acostumbrada, se dirá:

Insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super irregularitate, quam ex violatione censurarum contraxisti, ut ea non obstante, in tuis Ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare licite possis et valeas. Passio Domini nostri Jesu Christi..

Fórmula para dispensar de impedimentos dirimientes del matrimonio

Instruido el penitente acerca de la manera de renovar el consentimiento según la diversidad de casos, de conformidad con lo que enseñan los autores de Teología moral (Gury, *De revadilatione matrimonii*, núms. 895 y siguientes), se dirá:

Insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento... gradus consanguinitatis (vel affinitatis: aut super impedimento cognationis

spiritualis, vel occulto impedimento criminis) cum tua putata conjuge (vel tuo putato conjuge), ut, praevia renovatione consensus, matrimonium secrete inter te et ipsam (vel ipsum) contrahere valide et licite possis, simulque prolem susceptam et suscipiendam legitimam declaro: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. J. C...

Fórmula para dispensar «Ad Petendum Debitum»

Asegurado el confesor de que está removida la ocasión próxima del pecado, y después de la absolución de las censuras y de los pecados, se dirá:

Insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento affinitatis incestuosae matrimonio supervenientis, ut licite et sancte matrimonio uti possis et valeas: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. J. C...

Fórmula para conmutar los votos

Después que el confesor haya manifestado y explicado al penitente las obras que éste ha de hacer en sustitución de lo prometido en el voto que se conmuta, y después de la absolución de las censuras y de los pecados, se dirá:

Insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tibi votum... quod emisisti, in... quae tibi praescripsi, dispensando commuto: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. J. C...

EL MATRIMONIO CIVIL

La Dirección general de los Registros acaba de interpretar un punto dudoso de Derecho civil positivo, declarando, para inteligencia de los que contraigan matrimonio mera-

mente civil, cómo se ha de entender el art. 42 del Código y cómo debe ser aplicado por los Jueces municipales.

La doctrina sobre interpretación del art. 42 aparece expuesta por medio de Real orden fecha 28 de Diciembre de 1900 y publicada en la *Gaceta* del día 8 del corriente mes. Es de interés y vamos á exponerla con brevedad.

La ley reconoce dos formas de matrimonio: el canónico y el civil. El canónico según preceptúa el art. 42 del Código civil, *deben* contraerlo todos los que profesen la Religión católica, conforme á las disposiciones de la Iglesia católica y del Santo Concilio de Trento, admitidas como leyes del Reino; y el civil los que no profesen la Religión oficial del Estado, celebrándose del modo que determinan los capítulos I y III del título IV, libro I del Código civil.

No es, pues, potestativo en los españoles casarse como quieran. Los que sostienen, conforme enseña la doctrina católica, que el matrimonio es, ante todo, un Sacramento, habrán de casarse conforme á la ley canónica; los que defienden que es un contrato de carácter civil, si quieren contraer matrimonio, habrán de declarar ante autoridad competente que no son católicos; pues, de lo contrario, el matrimonio será nulo y el Juez que lo autorice incurrirá en responsabilidad legal.

Esta es la doctrina. Antes de la publicación del Código, las dudas que sobre la forma de celebración del matrimonio civil había suscitado la ley de 18 de Junio de 1870 aparecían resueltas por la Real orden de 27 de Febrero de 1875 y por la resolución de la Dirección general de los registros de 19 de Junio de 1880.

Los Jueces municipales sólo podían autorizar los matrimonios civiles de aquellos que *ostensiblemente* manifestasen no pertenecer á la Iglesia católica: pero vino el Código civil, y al tratar de la forma y celebración del matrimonio canónico, en ningún lugar ordena que los que pretenden contraer matrimonio meramente civil hayan de hacer previamente la

manifestación, ante autoridad competente, de no profesar la Religión católica.

El art. 42 impone á los católicos el deber de someterse á los preceptos de la Iglesia y disposiciones del Concilio de Trento al contraer matrimonio; pero no exige á los demás declaración ni manifestación alguna para celebrarlo; y la razón es obvia; pues, como dice *Mucius Scævola* en sus comentarios, el solo hecho de solicitar la celebración de un matrimonio que rechaza la Iglesia católica expresa evidente y *ostensiblemente* que quien lo solicita no profesa las creencias de ésta.

Sin embargo, las dudas han surgido; pero la cuestión ya está resuelta.

No hemos de citar el caso que ha motivado la Real orden de 28 de Diciembre de 1900. La *Gaceta*, al publicarla, ha empezado por ocultar los nombres, designándolos con iniciales.

La Dirección general de los Registros declara, al resolver el caso, cuyos personajes oculta piadosamente el periódico oficial, que, impuesta por el legislador á los que profesan la Religión católica y quieran contraer matrimonio la forma y requisitos establecidos por la legislación canónica, es evidente que los funcionarios del Estado no pueden acceder á la pretensión de los que soliciten la celebración del matrimonio meramente civil, sin que los futuros contrayentes *aseguren bajo su palabra* que no profesan aquella Religión; pues de lo contrario el acto adolecería de vicio de nulidad, conforme al artículo 4.º del Código civil, que declara nulos los actos celebrados contra la ley.

Ya lo saben, pues, los Jueces municipales y los que, sin ser católicos, pretendan contraer matrimonio en España.

La Real orden de 28 de Diciembre es terminante; hay que hacer ante el Juez municipal la abjuración ó manifestación de no profesar la Religión católica, bajo pena de nulidad del matrimonio.

Por consiguiente, ya nunca puede caber duda sobre la necesidad de obligar á los que, estando unidos civilmente, quie-

ran reconciliarse con la Iglesia católica á abjurar, aun en el fuero externo, de su apostasía.

A V I S O

Los días 24 y 25 del corriente Junio, de nueve á doce de la mañana y de tres á cinco de la tarde, tendrán lugar en el Seminario Conciliar los exámenes de los alumnos que cursan privadamente algunas asignaturas de la segunda enseñanza, ó sea latín y humanidades.

Los señores Párrocos tendrán la bondad de participarlo á los interesados que residan en sus respectivas feligresías.
Salamanca, 13 de Junio de 1901.

DR. PEDRO GARCÍA REPILA,
Secretario.